

Aibili, nobilior est namque actus quam potentia , & domum faciens quam domus primus lapis : si materia prima [data, & non concessa] compositi physici primus lapis esset cætera substantans , & esset subiectum cæterorum, est totum contra ipsummet Aristotelem cap. pr. de substantia , vt dixi in logica cū de substantia, quōmodo ipsem Peripateticus definierit substantiam, dicit [illam entitatem esse , quæ neque in subiecto est , neque de subiecto aliquo dicitur.]

Neque mihi occurrant illa responsonie in circulis inueterata [quamuis nauseante] videlicet, quod Paripateticus intelligit de substantia cōpleta, non de incōpleta: qualis est forma peripatetica ipsi loquitur de substantia vt sic; nec esse tale extra id, quod est simpliciter substantia de linea substantiæ; vnde in genere substantiæ , tam completa substantia est compositum , ac forma , & materia si intelligantur res tales in sensu peripatetico; cōpositū enim est completum in ratione substantiæ vt sic; sed in ratione substantiæ composita, est completum compositum; concluditur ergo , quod si daretur materia prima aristotelica , non esset bene definita per eiusdem Aristotelis definitionem , sed sequenti modo definienda esset , est substantia perfectibilis ab alia comparte compositi faciendi essentialiter in ordine ad ipsum compositum . constat ex genere proximo , & ultima differentia , vt est de ratione , & natura bonæ definitio- nis : dixi constare ex genere proximo , quia per illam particu- lam, substantia , cum omnibus substantijs conuenit, per reliquas particulas differt ab alijs substantijs, tum compositis primis, tum accidentalibus, quia ipsæ non tendunt ad unum essestiale faciendum; & miror quod ad hoc confugium de substantia completa recurrent, quasi aliae substantiæ non essent substantiæ, & sui iuris, neque ponendæ essent in cathegoria , nisi reductiæ , & in obliquo ibi ponerentur.

S V B S E C T I O III.

*An si daretur materia prima aristotelica, esset pura potentia,
Et appeteret omnes formas.*

SVppono antequam resoluam quæsิตum , quod si daretur inateria prima, cùm rerum esset principium , ingenerabilis